



Disputatio medica inauguralis de doloribus

<https://hdl.handle.net/1874/341865>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DOLORIBUS,

32

QUAM
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,
NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
ritè, ac legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOHANNES BRONCKHORST, Doesburgensis;

Ad diem 15. Februarii, hora locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiarum
Typographi, clo lcc LXXXVII.

*Reverendo, ac Doctissimo
V I R O,
D. J E P H T H A E
V L I T A R P I O,
Verbi Divini fidelissimo mi-
nistro Naaldwicensi , Socero
suo dilectissimo ,*

*Hanc Disputationem Inauguralem
submiso animo*

Dicat ac consecrat ,

JOH. BRONCKHORST,

Auct. & Resp.



D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

D O L O R I B U S.

T H E S I S . I.



Nter morbos, qui corpus humanum afficiunt, nullus majorem indaginem, quam *Dolor*, requirit; antiquis Medicis, ob principia non è rationis, sed experientiae penu deponita, hâc in parte minus philosophicè illum describentibus. Verè animi affectus est, voluptati oppositus, per ingratum spirituum motum mentem molestiā vexans, qui in iudicio tristitia, in voluntate odium dici posset; ac in sensibus externis, ab inconvenienti sapore, odore, lumine, sono, suam originem trahit; sed nostram in præsenti considerationem solus ille, qui tactum afficit, merebitur; Definitur, *vehemens fibra- rum concusso, que rupturam minatur*. Unde non tantum doloris natura, prout medicinæ objectum est, sed causæ, ac remedia justè attendenti patescent.

A 2

II. Pro

4 DISPUTATIO MEDICA

I I.

Pro variis modis, quibus in fibrillas agitur, ejus diversa sensatio datur: *Pungens* quandoque est, quasi acus adeset: *Rodens*, ac si dentibus moderet animal; *Lancinans*, quasi lancea nunc hic, nunc illic perforaret; *Lacerans*, quasi cultro fieret abrasio; *Contundens*, non aliter, ac si a malleorum ictu; *Gravans*, quasi ab incumbente pondere; *Comprimens*, quasi membrum prælo subjiceretur; imò sæpè *Distendens*, ac si membranæ forent inflatæ, ac instar veli, à ventis pressi, extensæ.

I I I.

Prout alia symtomata, cum suis causis, dolorem concomitantur, aliquando sensus ardoris adest, ac *ebullitionis*, ut hoc evenit in ventriculo & hypochondriis; e contrâ sæpe *frigoris*, *pulsionis*, *contorsionis*, sive torminum; quamvis non raro in uno loco fixus deprehendatur, in alio autem *vagus*, per spatiorum ac temporum inæqualia intervalla, corpusculum nostrum molestandis.

I V.

Ubi partes corporis spectamus, varia specierum nomina occurunt; in capite *Cephalalgie* est, dolor, nempe recens, neque vehemens, neque diutinus; *Cephalaea*, inveteratus, asper, longus, & sæpè immensis, ad peccatum in diæta commissum redux; *Fronis*, diutinus, quandoque cum suffusione, nausea, vomitu, & familiari regionibus nostris scorbuto; *Verticis*, quo gravidæ, cachecticæ, in menstruo fluxu impeditæ, vel hypochondriaco malo tactæ mulieres afficiuntur; neque prætermittendus ille, qui a *gravidine* nascitur, in quo caput cum omnibus artibus patitur, ac humor tenuis ac falsus ad narcs & fauces, cum excoriatione, febriculâ, lassitudine, destillat; uti nec, qui aurem

aurem quasi perterebrat; vel caput divellit ad oculorum orbitas tensus, vel tempora pulsat ac incendit; Quid? quod certum vi ni genus, & ex eo ebrietas; mercurii vivi, in curanda lue Venereâ, abusus; sympathia cum aliis affectis partibus, ut ajunt; contactus etiam externus, hoc in ventre, misrandos creet do lores.

V.

In oculis accidit sêpe numero acerbissimus, cum inflammatio ne, ulcere, copiosis lacrymis, visûs summâ debilitate: in auribus, quoque molestissima punctura, cuius delirium, vigilia pertinax, humoris, sanguinis, puris stillicidium, rubedo, tumor, ardor, tinnitus, imò surditas, comites sunt; in ore non contemnenda est *Odontalgia*, in uno vel pluribus dentibus, fixus, vagus, periodicus, in quo nunc à calidis, nunc à frigidis au gmentum fit, hominem velut enecans, & in rabiem agens.

V. I.

Pectori pleuritis, tam vera, quam notha, cum sua diffici li respiratione, tussi, febribus, bellum indicunt; ut & *Abdomini*, prâter dolorem in ventriculo, comprimentem, rodentem, pun gentem, ardentem, distendentem, *Colicus* & *Iliacus*, qui gra dibus differunt, quum in illo non adeo sit horrendus, neque tanta, & tum diurna alvi constipatio, neque mortis periculum, quam in hoc, ut qui nec fomentis, nec clysteribus molliri no vit, per menses continuos, comite lentâ febri, & pedissequis tabe ac *Paralyssi*. Huc, inter alias species (præcipuas enim & maximè infaustas nominare satis sit) referas *muliebrem dolorem*, in graviditate juxta inguina, cum coxendicis stupore ac dolore; Circa menstrua, ad artus, lumbos, coxas, cum passione hystericâ: In partu, absque dubio in plurimis maximum, qui à naturâ nimium novercâ possit excogitari, nisi *Nephriticus*, in sexu masculino, huic palmam videretur præripere.

DISPUTATIO MEDICA

V I I.

Dolor *artuum* pessimus *Arthritis* est, qui ipsa ossium internodia non veretur occupare, s^ep^e tam inveterata, ut nodis ac ex crescentiis articulos foedet, ac calcem, tartarum, turpiter eructet: huic affinis *ossum*, aut, si mavis, *periostii*, *tendinum*, membranarum, juxta ossa, dolor; h^ac enim si frangantur, dislocantur, concutiantur, cariem, aut latens ulcerulum, cum acri pure, vel vermiculo, concipient, vel intimâ inflammatione urgeantur, unâ cum motus impotentiâ, horrendam animo molestiam præbent.

V I I I.

Verum, ne in speciebus inquirendis, quarum infinita seges est, prolixiores simus, Causæ omnium dolorum erunt examinandæ, & quidem, ut uniformi principio nitantur: Non sufficit dixisse, dolorem esse *continui solutionem*, & alio modo vix explicabilem, ac si Medico confusa quedam morbi idea remedium, juxta rationem, porrigerere posset; Præterquam, quod s^ep^e, facta *continui solutione*, dolor planè cessa^t, vel tunc demum oboratur; *Motus* solus, qui sensationis omnis origo est, potius in subsidium vocetur: Hic impetu suo, vel particulas acres, & salinas, & acidas; vel humores, qui per tubulos texturæ nostræ circulari debent; vel spiritus animales diversimode affectos; vel halitus, per sanguinis & humorum variam fermentationem, & æstum, elevatos, nunc aquosos & tenues, nunc crassos & acres: vel materiam subtilem, ex aëris pressione, poros corporis humani undequaque intrantem & pervadentem, ad fibrillas protrudit vehementer, ut ipse tendantur, præsertim, si excicatae, & non irrigatæ crepent, crispen^t, & jam jam rumpantur.

IX. Qui

*Si nimis evi amissi. H. etiam sup. aridu ni amissi si non
tomi, misteriosi, metuosi, amissi. U. etiam
alium non traxi, vixi, amissi metuosi. Sunt nati
qui*

Qui impetus vix locum haberet, si omnes hæ motæ particulae in cursu suo non sisterentur, & liberrimè progredi possent; ita ut pro causis dolorum antecedentibus, pororum, tubulorumque obstruktiones, ac quicquid obstruere potis est, sumi debeat. Cui fundamento jacto, non difficile, differentias dolorum ante dictas, reliquis omissis, superstruere. Pungens enim à particulis salinis, quæ oblongæ, rigidæ, ac cuspide acuto armatae sunt; Rodens ab acidis; quæ si admodum acres, ut instar cultelli fibrillas discedere videantur, Lacerans; Si tantum volatiles, lacinians dicitur; Contundens à crassioribus, sed ad huc satis motis; Gravans ab iis, quæ minus moventur, & magnâ copiâ uniuntur; & comprimens, si vaporess quidam simul distendant; Hi, si soli membranas valent elevare, & fibrillas earum ad rupturam usque dilatare, distendens vocatur: Ubi simul magnus, & celer impetus particularum salinarum, ardor; vel solito major earum, quæ stagnant, fermentatio existat, ebullitio; vel sanguis interim crassior, serofior, aut ejus debilior motus oboriatur, frigus; vel arteriaæ vicinæ nequeant liberè expandi, pulsatio; vel fibrillæ motrices non procul sitæ, & ob irritacionem convulsæ sint, Contorsio sentitur. Quum una in parte impetus datur, fixus, verum, si huc & illuc motus, & quidem nunc major, nunc minor est, vagus nominatur.

X.

Unde omnium dolorum causam, *capitis, pectoris, abdominis,*
& artuum à nobis descriptorum, licet piscari. Imò, ratio jam datur, ob quam doloribus prudenter talia medicamenta, licet facta inventa, opponantur, quæ sunt epiceraistica, lenientia, oleosa, fibrillas laxantia, sanguinem & humores incrassantia, ut minor

H. Officiorum FRANCISCI HALAE Academia
Toscanopolitana. dñi Iac. Exxvii.

8 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

nor sit impetus in fibras, quæ *Anodyna Hypnotica*, sive somnifera, &, si nimium incrassent, ut stuporem, indolentiam, imò ipsam sèpè mortem inducant, *Narcotica*, dicuntur; inter qualia multa, sunt: *Radices Altheæ, Liliorum, Malve, Mandragora, Hyoscyami*: *Folia sambuci, violaria, Mercurialis, sempervivi, Lætuce, Papaveris, solani, tobaci*: *flores camomillæ, Meliloti, croci, Rosarum*: *Seminalini, fennigraci, tritici, Hordei, frigida majora*: *lac tepidum, butyrum recens non salitum, omenta, pulmones animalium recens occisorum, medulla, Axungia, unguentum populinis, olea papaveris, amygdalarum dulcium, fabarum*; & quod omnium vires superat, *Opium*, ac quæ ex eo conficiuntur. Quæ omnia his paginis non explicanda, sed in disquisitione per vocem vivam demonstranda venient.

F I N I S.

